

ptum: *E Maria Magdalena*, unde convalescit conjectura, quam ad *Evangelium S. Matthaei* hoc eodem modo glossatum prodidi: in Sacello *M. Magdalena*, quod olim penes *D. Stephani* fuit, Suppellectilem quandam similium sacrorum Codicum servatam fuisse.

XCIV.

R. 56 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 56. f. min. eleganter perscriptus columnis tribus, quarum media caractere grandi textum, extremae minuto glossas exhibent, est *Evangelium S. Johannis* litera initiali cubitali et lineis 2. primoribus deauratis, picturatisque, lineis omnibus ad Glossam interlinearem recipiendam laxis, et Glossae ordinariae compendio ad latera adstituto. Fronti inscriptum: *Sancti spiritus adsit nobis gratia. Inuocate* (Invoco te) *verbum, per quod sunt cuncta creata. Da mihi notitiam de te, da mihi* (redundat) *scribere uera.* Lectio Textus emendata, Divisio in Particulas indicata literis capitalibus miniatis. Ad oram inferam fol. 1. Scutum area rubra, fascia obliqua a dextra ad sinistram caerulea auro tessellata, quod Familiae est Possessoris ad calcem Codicis ita manu propria notati: *Marinus Tomacellus emit amicis eque ac sibi.* Fuit vir hic nobilis *Neapolitanus* ab *Innocentio VIII.* a. 1485. creatus *Episcopus Cassanensis* in citiore *Calabria*, carus Regibus *Ferdinando* et *Alphonso II.* cujus

inaugurationi etiamnum a. 1494. interfuit. Nec plura de eo *Ughellus Ital. sacrae T. IX. p. 350.* qui perperam *Martinum* adpellat.

XCV.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3028 XIV. Folior. 54. f. pariter eleganter tribus columnis ad eundem modum scriptus aliud *Evangelii Johannis Exemplar* est, olim *monasterii sancte dorothee vienne.* Folio ult. monetur: *Hoc folium debet a principio stare;* et recte, continet enim, ut in *Bibliis glossatis Prologum Hieronymi in Job.* dein Praefationem Incerti in *Tractatus Augustini super Job.* quae extat Edit. *Maur. Opp. Aug. T. III. P. 2. col. 287.* in *Bibliis vero Glossat.* audacter ipsi *Augustino* inscripta est, demum quaedam e *Postillis Lirani*, et principium *Glossae ord. in Job.* Pagina vero ult. legitur: *Iste liber est Johannis motardi in rupella camor — — — Presbiteri.* Et mox: *Hunc librum testatus est monasterio sancte dorothee Honorabilis vir d. Johannes presbiter et capellanus a. 1437.* Hic si idem sit cum praecedente, et *Rupellam* gallicam intelligi oporteat, bene peregrinatum fuisse hunc Codicem fateamur.

XCVI.

Codex membraneus lat. Sec. U. 61 XIII. Folior. 70. 4. per tres columnas exaratus continet *Evangelium S. Johannis* ita, ut mediam occu-